



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

**Linda Mariana, Sive De B. Virgine Lindensi**

**Clagius, Thomas**

**Coloniae Vbiorvm, 1659**

VII. Quinque dies idus Majas proximè consequentes.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-11544**

## CAPVT VII.

Quinque dies, Idus Majas proximè consequentes.

**F**INEM his diebus, videlicet ad XII. Calend. Majas, imponebant Agonia, sive Agonalia; quæ cum variis de causis ita appellata referat Ovidius (a) ipse tamen rationem nominis; à ludis Græcorum, quæ Agones dicebantur, derivat, dum ita scribit:

*Fas etiam fieri solitus et ate priorum*

*Nomina de ludis Græca tulisse diem.*

*Et prius antiquus dicebat Agonia sermo;*

*Veraquæ iudicio est ultima causa meo.*

In tanto peregrinorum apud Lindam concursu, quid aliud quàm Agones quosdam intueri tibi videberis? In quibus quidem, non jam unus, quod etiam S. Paulus notavit (b) *accipit bravium*, sed tot in corruptam accipiunt coronam, quot singularibus DEI ac Deiparæ beneficiis, juxta divini vatis carmen (c) *in misericordia & miserationibus coronantur.*

## I.

## Comitali morbo expeditus.

Ad XVII. Calend. Iunias Christophorus Przyborowsky; ex Schcenfeld pago, magnis octo leucis in provincia Hordeburgensi dissito, comitante unâ conjugè. Lindam venit, & vorum tres ante annos conceptum solvit. Comitali morbo a quindecim jam annis destrigebatur, & nullo apud suos exterosquæ

(a) *Fast.* I. (b) *I. Cor.* (c) *Psal.* 102.

terosque homines invento remedio, etjam hæreticorum quos inter propè solus Orthodoxam colebat fidem, consilio atque suasu, votum Lindæ adeundæ, offerendique alicujus donarii fecit. Iam tum vis mali plurimum remisit; ut non desperet, etjam reliqua morbi vestigia, quæ sanè levia supersunt, abscessura.

II.

Dentium dolore liberatus.

Eadem die, adfuit è Medien Heilsbergensis agri pago Iacobus Austin, qui unius ferè anni spatio ingentem pertulerat dentium cruciatum. Quo, cum per imploratam Divæ Lindensis opem, levatus esset, illi potissimum secundum DEUM gratias hodie egit.

III.

Tres claudæ famina curatæ.

Eadem die, quamvis non omnes eodem ex loco, Lindensi Divæ gratias egerunt, quia ejusdem beneficio pedum sanitatem omnes receperunt. Et Anna quidem Ioannis Austin ex Medien coloni filia, dextrum genu, dimidio plus anno, miserè affectum habebat; Anna verò altera Clementis Fischer civis Heilsbergensis filia, supra hebdomadas septem, utroque claudicabat pede; denique tertia Anna Ioannis Schultze ex Reichenberg Heilsbergensis municipii pago coloni uxor, dolore sex hebdomadarum, ad claudicatem redacta neque aliter nisi fulcrorum adminiculo utcunque gressum facere solita; postquam

suo quaque tempore ac loco, opem Deiparæ implo-  
ravit, facillè obtinuit.

## IV.

Alii quatuor variis pedum morbis soluti.

Antonio, Antonii Weyenmülleri Bisteinensis ci-  
vis & Musici filio, sacer ignis, per annos duos pedem  
utrumque, non tam affecerat, quàm prope exederat,  
inflammatione ad extremum vi aperta undique vul-  
nere exuberante: Minus aliquanto malum, et si non  
minoris generis, invaserat cujusdam Glocksteinensis  
in agro Resselienfi coloni Georgii Reimer filium;  
sacer enim itidem ignis erat, & per duas hebdo-  
madas haud leviter in pedem dextrum læviebat: Ac  
verò Joanni Leb Meellaccensi civi ad gravem capitis  
dolorem, & novus pedum morbus accessit, qui cum  
sex hebdomadas tenuisset, incedendi quoque facul-  
tatem abstulerat: Ad extremum Joanni Mantras ci-  
vi Resselienfi, haud dissimilis dolor & manuum &  
pedum usum, per duodecim hebdomadas abstule-  
rat. Potuit istos, locorum intervallis ita ab se divisos,  
latere communium malorum societas, sed non latuit  
quenquam commune apud Lindam Marianam æ-  
grorum, calamitosorumq; asylum, suo quisq; loco ac  
tempore Patronæ Virginis opem exposcit, ejusdem-  
que Lindæ visitationem, Sacramento voti interpo-  
sito, addidit. Neque ea pietas supplicantes fefellit:  
mox enim aut inflammatio, aut alius dolor, velut  
injectâ frigidâ, constitit; dataque omnibus, non  
modo gradiendi, verùm & longius iter perficiendi  
facultas.

## V.

## Fæminæ duæ feбри liberatæ.

Michaëlis Rohfleisch, ex Vargitten Heilsbergen  
 sis agri pago, uxor nomine Clara, quinque hebdo-  
 madas cum feбри graviter erat conflictata: at verò  
 Anna Ioannis Schwartz in Glautinen Cinthi-  
 nensis in Ducatu municipii pago, duodecim he-  
 bdomadas similes februm ardores perpessa erat.  
 Tametsi verò hæc præ illa, non locorum modò, ve-  
 rùm & religionis intervallo magis à Linda Maria-  
 na erat disjuncta (quippe inter Sectarios sectarum  
 vinculis obnoxia) tamen & hæc non minorem in  
 Deipara fiduciam collocavit, neque proinde mino-  
 rem experta opem; ut simul & Lindam accederent,  
 & Lindæ gratias Deo ac Deiparæ persolverent.

## VI.

## Glaucoma oculis detersum.

Sibylla Bartholomæi Grunert Civis Meelfaccen-  
 sis uxor, distillantibus supra sesqui annum oculis  
 glaucoma contraxerat, adhuc cum Virgo apud pa-  
 rentes degeret. Offusis ita corpori tenebris, melior  
 animo lux, è certa in Deiparam Lindensem fiducia  
 oborta est, quàm et jam curationis frustra alibi tenta-  
 ta desperatio non mediocriter augebat. Neque fidu-  
 cia ac pietas fructu caruit, confestim enim opitulan-  
 te DEI Matre, & glaucoma, & tenebræ ab oculis  
 detersæ; & illa, comitante Lindam usque parente,  
 vota & gratias illi agere non cessavit.

## VII.

Tumor immodicus toti corpori offusus  
iteratò discussus.

Ad xv. Calend. Junias Andreas Grünhag Heilsbergensis annuam Lindæ peregrinationem repetit. Sex ante annos toto prorsum corpore immodicus humor diffuderat, & miserum totas septem hebdomadas lecto affixerat; ut ne consistere quidem, tantùm abest, ut quopiam conferre se progrediendo posset. Omnis tamen ille tumor momento propè resedit, & sanitas homini integra rediit, ubi ille voto, quod Lindensi Patronæ fecerat, defunctus est. Anno deinceps recurrente, cùm ille recurentem neglexisset peregrinationem, non neglexit iterum recurrere morbus. Ergo ille malo suo monitus, novo se annuæ perpetuæque, quoad superesset, peregrinationis voto obstringit, & illicò, quo tenebatur, morbo expeditus est.

## VIII.

Pluribus dolor capitis dissipatus.

Eodem tempore, eodemque ex loco, atque eadem fere de causa tres puellæ ob beneficia sibi collata, Deiparæ sunt apud Lindam gratulatæ. Ex Newendorff Heilsbergensis agri pago omnes venerant, sed non omnes indidem erant oriundæ, præter Barbaram Joannis Greman filiam; Margareta enim Heilsbergæ, Matthæo Hippler cive, at Gertrudis in Santoppen Luca Fritsch parente nata erat. Cæterùm Barbara ante quadriennium tum vehemente Stomachi

machi nauseâ, tû immani capitis dolore, ad vertiginem usque laborârat; Margaretæ verò, ad similem capitis cruciatum, accessit pedum ingens dolor, qui eam ad hebdomadas quatuor lecto affixam ante triennium tenuerat; denique Gertrudis ante octo jam inde annos nihilo mitiore per sex. menses capitis cruciatu afflicta erat. Omnibus idem asylum, idemque apud B. Virginem Lindensem præsidium fuit. Vnde reliquæ sæpius Lindam gratias acturæ pergunt; Gertrudis verò annuam, quoad vixerit, peregrinationem, religiosè servat.

IX.

Hæreticæ quoque fæminæ dolore capitis liberatæ.

Eâdem quoque die Margaretæ, ex Kiersnowo Schiftensis agri pago colonæ, duæ jam adultæ Virgines filiæ, quamvis non catholicæ, ritu catholico gratias Divæ Lindensi egêre. Cereis enim fertis capita cinctæ sacellum aliquoties obierunt, & preces, genibus identidem flexis, qua poterant pietate, fuderunt, ut voto nempe exolverentur, quo ingens & diutinus capitis dolor, qui filiam utramque annum prope integrum distinebat, Deiparæ Lindensis ope fuerat depulsus.

X.

Nobilis Vir à feбри malignâ iteratò curatus.

Proximè consequente die, videlicet ad xiv. Cal. Jun. Nobilis & Magnificus Dominus Hieronymus

T r s

Got-

Gotkowski Vice-Dapifer Varfaviensis, & in Vifnensi Provincia Dominus ac heres in Rakowo, pedes Resselio iter absolvit. Biennium jam elapsum erat, cum ille Regiomontum versus iter ingressus, de B. Virgine Lindensi ejusdemque beneficiis fortè nonnulla cognovit. Haud multò post maligna febris correptus, pro deposito ab omnibus est habitus, ut etiam munus, quod in Repub. gerebat, tanquam illo jam defuncto, alteri fuerit traditum. Et sanè tertius jam supra decimumolvebatur dies, quo ille extra omnem vitæ spem jactabatur. Interea subit ægro Lindensium Deiparæ beneficiorum memoria, & memoriam, votum peregrinationis Lindensis momento consecutum, quemadmodum & votum proximè secuta est incolumitas. Quid restabat, nisi ut morbi vinculis expeditus, etiam voti sui vinculo se expediret? At negotia quæ domi privata, quæ etiam in magistratu publica variè intercedebant: quoad recurrente jam anno, quintâ hebdomadæ sanctæ feriâ, morbus idem recurrit: cumque per sex circiter dies lævire pari prope inclementiâ ac periculo cæpisset, ægrum coëgit, ut non memoriam duntaxat voti sibi refricaret, verùm & novo se Deiparæ voto obligaret. Quod etiam citra moram contendit exolvere; quemadmodum hæc die exolvit; &, quæ memoravimus, omnia teste conscientia, affirmavit.

## XI.

Epilepsiâ duo infantes libetati.

Ad XIII. Calend. Junias, Balthasar Schwartzè  
Retich



Retsch agri Heilsbergensis pago, unâ cum conjugē  
Margareta, votum, quod à septendecim jam annis,  
frequentant, annuæ peregrinationis absolverunt.  
Votum autem filiorum causâ susceptum nuncupa-  
tum que ritè erat. Cum enim & Georgius filiolus, &  
Albertus triennio junior, simul atque in lucem editi  
fuerant, comitali morbo exagitarentur, parentes  
utrumque, quoad viverent, quorannis B. V. Lindensi  
coram sistendum promiserunt. Quia verò utrumque  
ab edito voto sanum receperunt, quovis anno, tum  
illud utrumque, tum etiam se insuper beneficii me-  
mores & gratos, Deiparæ coram sistunt.

XII.

Mulier non catholica ob filias duas, à præsen-  
te mortis periculo ereptas, votum  
solvit.

Die eadem, Barbara ex Nanjady Sehistensis arcis  
pago, quinque miliaribus Lindâ distito, Joannis To-  
porzisko uxor, votum, quod ante sex annos nuncu-  
parat, comitante Helenâ affine suâ, absolvit. Anna fi-  
lia ipsius, cum aliis morbi causis tum ulceribus inti-  
mè caput opplentibus ad insaniam usque deducta, &  
supra medium annum lecto affixa erat, ut nus-  
quam inde progredi, nec nisi matris operâ mani-  
busque portari ac moveri aliò posset. Postea-  
quam verò mater Deiparæ Lindensi filiam devovit,  
non tam à morbo quam à morte rediisse ad sanita-  
tem vitam que visa, comoda que deinceps valetudi-  
ne usa est. Quæ Deiparæ benignitas fiduciam matri  
fecit,

fecit, ut, cum Barbara junior filiola, vix annum ætatis supergressa, sinistrum latus axe currus, impetu prætereuntis, graviter percussa, & sive inde, sive alia quoq; ex causa, majorem ætatis partem prope usq; ad mortem (quam solam mater jam opperiebatur) macie exhausta esset, etiam huic salutem postulare à Deipara Lindensi auderet. Postulavit, & hanc quoque sanam brevi complexa, non ante Lindæ præsentem stitit, quam sextum ingressa annum & matrem & sororem comitari posset pedes.

## XIII.

Traumburgensium complures ob impetrata à  
Diva Lindensi beneficia gratias  
agunt.

Die ante Calend. Jun. xi. homines septendecim, majorem partem Traumburgo, ut gratias agerent, confecto pedibus septendecim leucarum itinere advenerunt. Quos inter Petrus Hintz Matthiz & Annæ civium Traumburgensium filius, annos tredecim natus, aurium usu, cum adhuc pueritiam vix esset ingressus, omnino destitutus, matre filium Lindensi Patronæ offerente, confestim revaluit. Anna verò Joannis Hartman indidæ civis filia, matre ante annū ex febre malignâ plures hebdomadas decumbente, ejus loco votum Lindam nuncupavit; & restitutâ confestim matri sanitate, hodie, quemadmodum promiserat, voti pensum cum gratiarum actione reddidit. Sicut autem hæc matris, ita Catharina Jacoli Herbst Traumburgensis itidem civis filia, patris sui causam, apud Deiparam Lindensem feliciter

er egit. Defunctus ille jam ante triennium fuerat, sed filia identidem apparere per somnium visus ac monere, ut se Divæ Lindensi offerret. Oblit illa facto Lindam peregrinandi voto, & exinde omnis animo quies, et jam per somnium, rediit. Jam Regina indidem Simonis Schopp & Annæ filia, per quinque minimum hebdomadas ex capite ante triennium graviter laborat: Barbara verò ex New kirch Joannis Golt Schmid & Catharina filia, ab uno ferè anno comitalem morbum miserabiliter, passa fuerat: utraque à voto Deiparæ Lindensi nuncupato, sanitati confestim restituta est.

## XIV.

Duo homines non catholici à sensibus alienati, sibi restituti.

Eadem die ex Orsch Angerburgensis agri pago, in Ducatu sito, adfuerunt Lindæ V Vilhelmus Nicolai Hielasa, & Ioannes Martini Kozurck filius Atque ille quidem æstate præteritâ, ignoto omnibus morbo per hebdomadas sex lecto affixus, ac demum triduo à sensibus prorsum alienatus, ut neq; audiret, neque quidquam aliud sentiret, ac tantum pedibus totoque adeo corpore partes in omnes sese jactaret: hic verò, dum ruri positus terram aratro verteret, advolantis corvi (qui maleficorum operâ submissus putabatur) insolito adspectu percussus, & pavore consternatus, adeoque extra se motus est ut plures hebdomadas redire ad mentem ac sibi constare nusquam posset. Vterque parentum suorum voto Deiparæ Lindensi oblitus, extemplo sibi restitutus, atque

que hodie, patre admodum sene *Wilhelmum* comitante, voto suo apud *Lindam* defunctus est. Poterat hisce duobus adjungi tertius, non quidem ex eodem pago, ex eodem tamen Ducatu, *Joannes Lichora* in *Grajow*, *Letzensis* municipii pago inquilinus, qui eodem die votum suum *Lindæ* persolvit, sed quo *Deiparæ* beneficio fuisset affectus, inquiri & consignari per temporis angustias non potuit.

### C A P V T VIII.

Alii quinque mensis *Maji* dies.

**I**nitium his atque auspicium *Dominica* sanctissimæ *Trinitatis*, in *x. Cal. Jun.* incidens dedit, quâ civitas *Bisteinens.* pro accepto more, vel potius pietate sua annuam processionem *Resselium*, & in vicinum *Resselio* pagum *Robawen* promovit, & unâ multos ad sui imitationem cum aliâs semper, tum hoc quoque anno permovit. Sed & præter *Bisteinenses*, plurimi ea ipsa die aliunde *Lindam* accesserunt.

#### I.

*Morbus comitialis depulsus.*

*Prisca* *Laurentii Teicher* civis *Vormditensis* uxor, quod à quatuor jam annis facit, votum annuum persolvit. Voti causa fuit comitialis morbus: quo, sicut ob terrorem à milite quodam incussum, subito fuit correpta, ita ob votum ad *Deiparam Lindensem* factum, confestim erepta.